

g. Hæres. 2. §. 1. 2. pag. 73.

phanus (*g*), è radice, inquam, designante puellam vitare. Hefychius reddit *Pru-nicum* pro bajulo. P. Petavius datam à S. Epiphano expositionem non satis probat: nec sanè congruum videretur, Simonem plenum invidià nomen indidisse mulieri, quam in aliis consecraverat allatis nominibus. Nec est cur suspicemur corruptum esse S. Epiphani Textum, cum sæpius eandem interpretationem repetat, neque semel noiet verbum illud, unde vocis etymologiam deducit.

Cum ceterorum serè omnium nominum, quorum est mentio in systemate Simoniano, Gnostico, vis repetatur ex Hebræo vel Syriaco sermone, fieri utique potuisset, vocem illam *Pru-nicos* ex Hebræo *Para*, germinare, fructificare, florere, & *Nacab*, purum esse & innocentem, vel *Nacoth*, thymiam derivari. Quidquid sit, iactabant Gnostici per *Pru-nicam* colligere se vim corporum maris & foemine; vis autem illa phrasi Gnostico designabat fluxum illum humoris, quem aperto nomine exprimeret vetat pudor.

Jubebat Simon statuas sibi dedicari sub Jovis figura, Helenæ verò sub Minervæ; nec Dei figuram tantum, sed & cultum sibi ac uxori utriusque Numinis adscribebat. Appellabat Helenam suam modò rerum omnium matrem, modò S. Spiritum; hanc esse dicebat palantem ovem, ad quam reducendam è Cælo venisse se (*h*); hanc è Cælo in Cælum dilapsam in terram descendisse, & hominum figuram induisse. Se verò addebat nihil minus esse, quam ejus exhiberet figuram, nempe hominis, (*i*); se Messiam iactabat, cujus nominis obtentu plures sibi adficerat Discipulos, quos Christianorum appellatione honestabat; tandem in exclamationibus suis Christi nomen ingeminans, incautus & prodigiorum suorum prestigiiis seductis pluribus persuadebat.

Nolebat autem Jesu Christi in se personam agnosci, sicut nec Jesum Christum haberi tanquam Dei Filium (*k*), quod scilicet odio illum prosequeretur; conatus insuper veris ejus prodigiis falsa prestigia sua ita opponere, ut parem cum illo sibi nominis famam apud homines conciliaret. Magni quidem fuisse negotii, Jesum Christum virum moribus sanctissimis, & datæ cælitus doctrine Magistrum cum Simone corruptissimo viro, & vecordi confundere; sed magis pariter fuerat negotii inter genuina illius miracula & prestigia Simonis distinguere. Fateor tamen non fatis assequi me, cur Simon doceret se non nisi in speciem tolerasse crucis supplicium, si personam Christi induere recusabat. Sed frustra constans aliquid in systemate adeò malè compaço quaras.

Vir ille impius, referente S. Ireneo (*l*), delapsus se cælibus iactabat, non in salutem tantum Helenæ suæ, palantis illius oviola, sed ad restituendam universi œconomiam, Angelorum principatum affectantum ambitione turbatam; venisse pariter in salutem hominum, quibus summum fuerat malorum, quod se (id est Simonem)

non cognoscerent, ac Angelorum jugum sustinerent: Angelorum, inquam, discrimen inter bona & prava opera eo consilio invehentium, ut homines in depreffione & servitute tenerent.

Nihil corporibus sperandum manere si ve de salute si ve de resurrectione dicebat, sed animæ esse omnia; nihil sciendum hominibus in probis operibus, cum sola spes libertatis à servitute & jugo per Angelos inducio, in ipso se & Helenâ suâ restaret. Magistri doctrinæ plus nimio in hæserunt Discipuli, invidiam in Christianum nomen nefandissimis criminibus suis æternam creantes (*m*).

Habebat sub manu liberationem Prophetarum ab Inferis (*n*); transgressoque volatu aere medium se in ignem ita constituisse dicebat, ut in unum cum illo corpus, illesus tamen, coalesceret. Statuas animâ donasse se & motu, lapides transmutasse in panem, sistere se videndum, & invisibilem pariter cui maxime vellet, penetrare montes & petras nullo sibi obice resistente, dare se præcipitem è montibus nihil sinistri metuentem, extricare se vinculis, quibus forte teneretur, novas subbit arbores exhibere, metamorphosim sibi inducere & mutare oris faciem, ut à nemine agnosceretur. Narrabat, missum se olim à Rachele matre suâ ad colligendam messem, falci præcepisse, ut sese in illam immitteret; quæ ita mandata complectet, ut opus quantum decem messorum egisset. Ferebatur de illo, proposuisse olim Neroni, ut clam obruncari se præciperet, pollicitum intra triduum se iterum rediturum ad vitam. Rem præstitit Nero; verum Magus ille substitutum in locum suum artem obruncandum obtulit (*o*); post triduum spectandum se præbens, Simon, speciem quasi iterum ad vitam redisset, exhibuit. Author Constitutionum Apostolicarum [*p*] sicut ex Recognitionum (*q*), ac Pseudo-Abdias (*r*) docent, Simonem Casaream in Palaestina versantem decipitasse eum S. Petro, recepit se deinde Tripolim in Phœniciam, ac tandem Romam, quod S. Petrus euntem profectus est. Rerum gestarum ab impostore illo Romæ & disceptationum cum S. Petro coram Nerone historiam legas apud Pseudo Abdiam, & alios, seu non dissimilis furfuris Historicos, si per otium licet.

Major est habenda fides testimonio veterum Patrum (*s*), agentium de prioribus Simonis itinere Romam sub Claudio, quò rerum potiente Romani statum insigni illi impostori erexerunt cum epigraphæ: *Simoni Deo Sancto*. Suâ adhuc ætate, & oculatum testem spectasse se illam tradit S. Justinus, asserens pariter non defuisse inter Samaritanos cæterosque ejus Discipulos, qui inter Numina primum illi locum assererent (*t*). Idem confirmat S. Clemens Alexandrinus Ström. 12. Idem S. Irenæus contra hæreses l. 1. c. 20. De statua Simonis agunt pariter S. Cyrillus Jerusalemitanus [*u*], Tertullianus [*x*], Eusebius & Theodoretus. Publicâ autoritate erectam asserit S. Augustinus, de hæres.

m. Euseb. hist. Eccl. l. 2. c. 13. n. Tertull. de Anima, c. 57.

o. Pseudo-Marcellus in Actis Petri & Pauli.

p. Lib. 2. c. 3. q. Cognosc. Clement. l. 1. c. 2. 3. r. In Petro.

s. Justin. Apolog. 2. p. 69. §. 91.

t. Idem dialog. cum Tryph. p. 349. Florebat Justinus circa ann. 150. u. Cateches. 6. x. Apolog. c. 13. Euseb. hist. Eccl. l. 2. c. 14. Theodoret. hæretic. fabul. l. 1.

h. Iren. l. 2. c. 20.

i. Epiph. loc. citat.

k. Orig. constr. Celsus l. 5.

l. Iren. l. 1. c. 20. Aug. de hæres. Epiph. hæres. 2. c. 14.

ri in loco intra duos pontes Tiberis, vel in insula ejus amos constitutam designat S. Justinus. En historiam apertis adeò documentis asertam, ut convelli nunquam posse videatur. Traditur enim à multis coævis ferè & magni nominis Scriptoribus, quorum aliqui testes fuerunt oculati, rem suâ ætate per certa habitam asserentes. Si forte S. Justinus, qui omnium primus simulachri illius meminit, levitatis & ignorantæ suspicionem quandam præbere potuisset, si obiter, & per consequens rem attigisset, tolerari utique posset, ut aliquis daretur adversus ejus rei veritatem ambigendi locus; nullus tamen reipsa datur, cum asserentem habeat virum amplissimum, judicio ingenioque gravem, Paganam Religionem calentem, Romæ, dum scriberet, sedem habentem, tenentem primas in Ecclesia, ac tandem rem illam inferentem in supplicii libello coram Imperatore & Senatu exhibendo; rem, inquam illam quæ nisi veritati cohereret, impostoris & nugatoris in Scriptorum invidiam, apud vilissimos etiam creasset. Quibus tunc sanis non exponeret odio jam & contemptui habita Ecclesia? An neglexissent Paganam putidum illud mendacium oggerere? Quæta fuerunt omnia: nulla ergo data est movendi causa.

re suâ pariter censuissent Christiani, ut locum hunc Apologia vel suppresserent, vel utcumque excusarent; siquidem S. Justinus crasso profecto errore pro *Simoni Deo Sancto*, quem epigraphem simulacro inscriptam tenent aliqui, legisset *Simoni Deo Sancto*. Quid erroneam hanc lectionem servarunt S. Irenæus, Tertullianus, Eusebius, S. Augustinus, viri nempe omnium in Ecclesia ætate singuli suâ sapientissimi? An Tertullianus, an Augustinus, quis esset *Semo Sanctus*, vel ignorabant vel ignorare poterant, si de illo quævisissent? vel saltem soli inter homines Christiani non viderunt, an scilicet erectam Romæ simulacrum *Simoni* vel *Simoni* dicatur? *Sanci* vel *Santi*, Numinis Sabianorum, meminit S. Augustinus in Opere de Civitate Dei l. 18. c. 19. nihil de Theologia Paganorum latebat Tertullianum; uterque tamen S. Justinus erectam pariter Helenæ *Simonis* conjugi statuas testatur. Ex ære conflatum *Simonis* illud simulacrum asserit, nec utique à S. Justino edoctus, Theodoretus, vir tanta doctrinæ & sapientiae (*y*).

y. Hæretic. fabul. l. 1. c. 1. 2. Sub Claudio Casare Simon Magus Senatuum populumque Romanum in tantum admiratione sui suscepit, ut haberetur pro Deo, & receptus in Decorum numerum honoraretur dicatû sibi statuâ.

dei in Sacramentis præstandæ Numeratulare. 3. Unicum tantum *Simoni* erectum Romæ simulacrum videtur, cum *Simoni Sancto* tam multa olim consecrata censenda sint, ut duo hodie usque supersint. Fidem S. Justino adstruunt, ultra Veteres omnes supra à nobis laudatos, posteriorum sæculorum omnes usque ad Baronium; & post illum, ac ultra illum (*a*), in eandem sententiam concesserunt Guillelmus Spenser (*b*), Hammondus (*c*), D. Tillemontius (*d*), P. Halloxius (*e*), Grotius [*f*], D. Fleury, & alii sexcenti.

His tamen omnibus nequaquam absteriti viri plures doctissimi, relatæ à S. Justino historiæ fidem addicere noluerunt. Visam quidem à S. Justino Romæ inscriptionem non admodum abea, quam recitat, discrepantem ita agnoscunt, ut reipsâ tamen aliquanto diversam fuisse teneant: spectasse pariter aliud quam *Simonem Magum*, virum quidem apud Sectæ suæ homines, tum & apud Samaritanos divinis honoribus parem, sed nunquam in Romanorum Numina vel receptum vel recipiendum, cum ea res esset, que multo rerum apparatu, tum & Senatûs peculiari decreto indigeret (*g*). Profectò tanti moliminis rem non siluissent ejus ætatis Scriptores; nec si apud vulgum indoctum rudemque aliquid obtinisset prestigii sui *Simon*, nunquam tamen adeo apud viros amplissimos conscriptosque Patres in tantâ temporum luce invaluisset.

Si quid humani viris illis sapientissimis accidit, in decernendis scilicet divinis honoribus viris nonnullis mortalibus; id tamen illis non error, sed metus, assentatio, & mala cupiditas extorsit. His omnibus nihil valebat *Simon*, vir obsecutus, nec generis, nec Patriæ, nec nominis celebritate, sed prestigii, quæ non parvi tantum habebant Romani, sed & Magos legum & pœnarum rigore infestabantur.

Quis unquam in animum induerit, Imperatorem & Senatûm divinis honoribus cultum voluisse hominem, cujus & genus & patriam & res gestas, quæ & vitæ incommoda omnia norant? Consecrassent quidem Romanos fateor Cajum, & Domitianum; sed metu exorta illorum Divinitas nullos habuit cultores satis feros. *Simonis* apotheosim nihil tale promovisset. Divinis honoribus, quin & mactatione victimarum colere Paulum & Barnabam prælo erant Lytrentes: sed incautos persuasit opinio, quod sub virorum illorum obtentu delapsa cælitus Numina apparuissent; ex quo enim meros purosque homines agnoverunt, lapidibus perire illos aggressi sunt (*h*).

Tandem neque superstitem, neque post mortem consecratum à Romanis *Simonem* par est ut credamus. Dum viveret, nunquam dogmatum suorum fidem Impostor ille Romanis persuasit, vel saltem persuasisse nemo unquam ex Patribus, etiam historiæ illi faventibus, asseruit. Quomodo autem Numen sibi proposuissent, cuius dogmata non probabant? Post obitum, unâ cum ejus lapsu coram Nerone

a. Ad an. 44. n. 55. b. Adnot. in Origen. cont. Cels. l. 1. pag. 44. c. Dissert. 1. de Episcop. jur. d. In S. Justinum not. 2. e. In Justin. Oper. l. 3. pag. 488.

g. Tertull. Apolog. c. 5.

h. Act. 14. 6. 11. 13.

& Romanis, viri etiam fama concidit; ut proinde in cenfum Deorum, etiam a Claudio relatus, post creatam aeternam illam suo nomini invidiam ab honore prorsus excidisset. Interim S. Iustinus ceterique Patres velut certum constituunt, post elapsum a Claudio & Nerone saculum nihil tamen de viri illius cultu decessisse.

Omnium eius rei vetustissimus testis est S. Iustinus Martyr, a quo caeteris postea impositum; nisi forte quidam rem illam aliorum relatione acceptam asseruerint. Vir autem Sanctus, quod citra invidiam scientia & sanctitatis illius dictum volo, credula nimis facilitate fidem addicebat suam pluribus nostram demum aetate, ne quid gravius, dicam suspectis. Narrat spectasse se Alexandriae Cellulas, Septuaginta Interpretibus Scripturarum Versioni laborantibus addictas; qua de re plura etiam addit fidei suspecta (*). Judaeos accusat de vitiatas Sacris Libris, expuncta in odium Crucis Christi de sententia illa Psalmi 95. 10. Dominus regnavit a ligno, voce aliquo (i). Non ergo erat ab illo alienum, ut epigramm Simoni Sancto per errorem legeret Simoni Sancto, Sabinorum Numine in Magum transformato. Anno 1574. effossus est Romae in Insula Tiberina, quem potissimum locum designavit S. Iustinus, marmor ita inscriptum:

SEMONI SANCO. DEO FIDIO. SACRUM. SEX. POMPEIUS. SP. F. COL. MUSSIANUS. DECUR. BIDENTALIS. DONUM DEDIT.

Apud Gruter. l. 1. pag. 96. ex Fulvio Ursino.

SANCTO SANCO. SEMONI DEO FIDIO. SACRUM DECURIA. SACERDOTUM. BIDENTALIUM. RECIPERATIS. VECTIGALIBUS.

Tandem Reati in Italia, veteri Sabinorum regione, ubi potissimum huius Numinis cultus, hanc inscriptionem positam legerunt viri docti (1).

Apud Gruter. l. 1. pag. 96. n. 7. ex Apiano, & Fulvio, alii que.

SANCO. FIDIO. SEMO. PATRI. DE decuma. Victor. Tibei. Lucius. Murius. Donum. Moribus. Antiquicis. Pro. Usura. Hoc. Dare. Semper. Visum. Animo. Suo. Perfecit. Tua. Ope. Rogans. Te. Cogendi. Dissolvendi. Tu. Ut. Facilia. Faxsis. Perficiasque. Decumam. Ut. Faciat. Verae. Rationis. Proque. Hoc. Atque. Alieis. Donis. Des. Digna. Merenti. Appellabatur indiscriminatum Numen

illud Semo, Sancus, Sanctus, vel Fidius, ut Ovidius in illo Fast. l. 6. ver. 213.

Quarebam nonas Sancto, Fidione referrem, An tibi Semo, Pater.

Veteres autem generatim nomine Semonum, (quasi semi-hominum) designabant inferioris ordinis Numina. Ita Semo dictus est Mercurius (m), Hercules (n), Vertumnus, & Priapus (o), nec alius ab Hercule videtur Semo ille in Quirinalem cultus. Ovid. l. 6. Fast.

Apud Auson. c. 19. n Ovid. Fast. l. 6. o Fulgent. de vocibus Antiquis.

Hunc igitur (Semonem) veteres donarunt ade Sabini, Inque Quirinalem constituere iugo.

Sed nequid talibus immoremur, satis est nobis demonstrasse, cultum olim Romae Semonem Sancum, cuius & statua cum epigrapha eo loco postea spectabatur, ubi olim S. Iustinus Simonis Magi Simulacrum & epigramm in eadem fere verba conceptam viderat; ex quo plane intelligimus, decipi facile potuisse hominem alienigenam, parum Latinis literis instructum, totumque opinionem Simonis, quem norat olim praestigis suis imposuisse Romanis, occupatum. Hanc sententiam acriter propugnant frequentes Theologi & Critici magni nominis utriusque comminationis, uti D. Valefius, in notis ad lib. 2. & 3. hist. Euseb. Salmastius in Spartianum, P. Pagi Critic. in Baron. ann. 42. n. 6. Ciacconius Opusc. praefix. exposit. colum. Trajan. P. Mabillon, t. 1. Mus. Ital. pag. 87. Anton. Vandale de Oracul. Reinesius Dissert. de Sybillin. Ittigius Dissert. de Haeresiarch. Salomon Deylingius Observat. Sacr. to. 1. c. 36. Joannes Albertus Fabricius not. in Pseudo-Abdiam pag. 419. de Apocryph. N. T. Author Dissertationis impressa in relatione Resp. Liter. an. 1685. mense Augusti pag. 84. aliique plures, quorum rationes dubiam saltem reddunt fidem illorum, quae de inscriptione Simonis Magi a S. Iustino feruntur.

Cum vir ille impius Romam sub Claudio venisset (p), sibi plures adscivisset Discipulos (q), S. Petrus, qui gravis instabat viro praestigis ejus dissipandis, brevi totam ejus famam subvertit. Interiisse illum circa hac tempora, & insinuare videtur Eusebius, & tenet post Me-taphrastem D. Valefius (r); quanquam recepta magis opinio obitum illum consignat sub Nerone circa annum Jesu Christi 65, quod suffragio suo confirmant Sulpicius Severus, S. Augustinus, Arnobius, Philastrius, S. Ambrosius, S. Maximus Taurinensis, Theodoretus, S. Cyrillus Jerusalemitanus, S. Isidorus Pelusiotus, Baronius, caeterique fere omnes Historici. Mirari subit, cur nihil habeat Eusebius de lapsu Simonis Caelum petentis volatu, tanta scilicet rei & memoria posterorum dignissima. Silent etiam vetustissimi ex Patribus, rerum Simonis non incuriosi indagatores, uti S. Iustinus, S. Irenaeus, Origenes, Tertullianus.

Circa ann. 41. J. C. q Euseb. Hist. Eccles. l. 2. c. 15.

Not. in lib. 2. c. 15. pag. 33.

In Constitutio-nibus Apo-stolicis non-nisi Petrus orans induci-tur l. 6. c. 9.

Reliqui Patres jam laudati conveniunt; Simonem Romae versantem sub Nerone per aera volentem, specie quidem quasi ad Caelum ascenderet, cum precum Apostolorum Petri & Pauli (s) vim non sustineret, corruisse precipitem, & ex lapsu vitam repagulis disruptis interisse. Haec factis constanter apud illos omnes Scriptores; sed qua ratione aera petierit Simon, qua vita excefferit, non satis convenit inter illos.

Hegesippus & Pseudo-Abdias de summa Capitolii arce aeri se commisisse scribunt. Volanti acclamabant Romani, nihil tale a Jesu Christo tentatum unquam. Vim suam adversus impium ut exereret Jesus, precibus impetravit Apostolus S. Petrus, simulque malis Spiritibus, quibus vehementibus ferebatur in aera, praecipit, recederent aertum. Nec mora; subducentibus se Demonibus, corruit Simon, implicatus, quas sibi aptaverat, alis, & ex lapsu mox interit.

Apud Caes. l. 6. c. 12.

Apud Caes. l. 6. c. 12. pag. 59.

Vide Arnob. loc. cit. Cyvill. Jerofolymit. Catech. 6. Ambros. Hexaem. l. 4. c. 8. Sulpit. Sever. l. 2. lib. Eccles. Isidor. Pelusiot. l. 1. Epist. 13. Theodoro. vet. Harot. fabul. l. 1. c. 2.

Philast. de haeres. c. 29. Aug. de haeres. 1. Epiph. haeres. 22.

Harotic. Fa-bul. l. 1. c. 1.

Pseudo-Marcellus in Actis S. Petri refert, Simonem erigi sibi turrim postulasse in Campo Martio; qua illum postea lauro coronatum consensu universo spectante populo ad Caelum scandere tentasse; sed & corruisse statim ac S. Petrus oravit. Valerius Strabo seu Author Carminis S. Petri (t), ejus turris meminit. Igneo curru, velut Elias olim, elevatum in Caelum habet Arnobius l. 2. pag. 59. sed ad nomen Jesu Christi per S. Petrum invocationem dissipatis praestigis, dilapsisque Demonibus vectoribus proprio pondere in terram adactum, curribus de lapsu confectis, aliorum manibus translatus fuisse Brundam, ubi dolorem vulneris, & probrum non ferens ex aribus sese praecipitem egit. Narrant ex Patribus multum geminos Demones Magi excantationibus coactos ad officium praestandum venisse; recessisse vero statim ac precibus SS. Petri & Pauli sese impares fenserunt. His subductis, statim in terram Magus. Locum ejus lapsus designant viam sacram Acta Graeca D. Cotelerii.

Sunt qui credant Brundam, quo relatus post lapsum Simonem, ipissimum esse Brundisium ad extremas Italiae oras Graeciam versus; veluti si insignis ille Praefigiator illatam nomini suae notam tege-re affectans, ex Italia in Orientem fugam tentasset. Tenent vero alii, Brundam nomen esse certi loci in Urbe, nec sane dissident Veteres, uno omnes consensu assentes (x), obisse illum Romae, & in Urbis medio uti notat S. Epiphanius; ac nemo ullus satis aperte docet, locum ejus obitum fuisse sive Brundisium, sive alium quemcumque extra Urbem. Variantia caetera minoris momenti libens praetereo, uti S. Petrum ad certamen illud Simonem provocasse; quod insinuare videtur Theodoretus (y), contra fidem Libri Constitutionum l. 6. c. 9. non obscure asserentem, ad Simonem Apostolum invitatum.

Certamen illud fuse prosequitur Author Constitutionum Apostolicarum loc. cit. referens, Simonem Romae versantem & praesentem censens.

res seducentem, venisse olim pleno jam meridie ad theatrum, authoremque fuisse populo, ut ad spectaculum, petiturum enim se aeris sublimia jacitabat, Petrum acciret. Cum venisset igitur Apostolus, volatum aggressus est Magus: acclamarunt veluti ad Numen spectatores; sed versus in preces Apostolus, porrectisque in Caelum manibus, & oculis ad Simonem conversis in haec verba virum petit: Ego sum vir Dei, & venerabilis J. C. Apostolus, non sicut tu seductor; quare ejus nomine infernis Potestatibus in aere te sustentibus edico, ut recedentes aertum ruinate, aeternoque expositum opprobrio permittant. Nec mora, corruit magno impetu Magus, contractis lapsu curribus & pedum extremis. Acclamare ad haec populus, unicum esse, quem Petrus annuntiabat, Deum; Plures exinde Simonem deserere, sed alii nonnulli pervicacius adhuc illi inhaerunt.

Referunt ad hanc Historiam illud, quod legitur apud Dionem Chrysostomum. Orat. 21. Neronem scilicet in aula sua detinuisse virum, qui volatu se aera petiturum jacitabat. Sicut & illud Suetonii l. 6. c. 12. virum scilicet quendam in publicis ludis coram Nerone volatum tentasse; sed ad prima tentamina corruisse praecipitem, resiliente miseri illius cruore usque ad spectantis Principis tentorium. Sicut hujus Historiae veritatem negare nihil nostra interest, ita nihil certi suppetit, cor de Simone ab utroque illo Scriptore agi credamus. Ita vero de historia illa loquuntur Patres, & Ecclesiastici Scriptores, ut tota res gesta censeatur a Simone, universo populo spectante & in Urbis foro, non in theatro, & coram Principe; neque meditato antea consilio, sed magis viribus suis fat fretus Simon, consilium illud statim inivit, statimque Apostolum provocavit ad certamen. Narrat quidem Philastrius, Magum coram Nerone in aera sublatum, sed de Nerone nemo ante illum quicquam.

Jejunium observari solitum Romae singulis recurrentibus Sabbatis, Romanorum nonnullos retulisse scribit S. Augustinus, ad institutum eadem die a S. Petro jejunium, ut divinam sibi opem impetraret in certamine die proxime succedenti cum Simone incedo; qui imos ut servaretur deinceps fecit certaminis illius felicissimus exitus. Concludit tandem Augustinus: Est quidem haec opinio plurimorum; quamvis eam perhibeant esse falsam plerique Romani.

Si quis magis exacte allatas in medium optaret Veterum discrepantes sententias, ad historiam certaminis S. Petri cum Simone quod attinet, illius certe votum explebit D. Cotelerius in annotationibus ad sextum librum Constitutionum Apostolicarum pag. 268. 269. ubi rem totam excutit; ac tandem concludit in historia tam dubia & parum asertis circumstantiis plenissima, tutius esse judicium suspendere, nihil certi sive pro ejus veritate sive contra illam definiendo; quod sapientissimum esse in re praesentem censens.